



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap. IV. Prosequitur adhuc Amoris Dei in eodem gradu officium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

namque certum habere debes, nullare alia æquè spiritum tuum te mihi posse conjungere & unire, aut voluntatem tuam perinde meæ conformare ac subjicere, quàm, si libenter & ex animo exequaris, quæ ipse jussero.

*Prosequitur adhuc Amoris DEI in eodem gradu officium.*

## CAPUT IV.

**I**N hoc eodem amoris gradu planè mecum constitui, ea omnia exequi, ad quæ efficienda ratione vocationis & officij mei obligatum me novi. Quando enim semel me obligavi, (cujus me neutiquam pœnitet) in præceptum mihi jam transit, quod antea sine DEI offensione vel facere, vel omittere licuisset. Eam ob rem officium meum diligenter perpendere soleo, eaque, quæ ad aliud pertinent exercendum meliusq; exequendum, semper quidem pro sapientum consilio, juxtaque Scripta Di-

vi-

vina me gerens ac instituens. Certus namque sum, per plures eo nomine offendere Dominum meum, quod, quæ sui sint officij, quæq; illud requirat, ignorent. Si verò a perspecta habent, & tamen negligant ac omittunt, planè deteriores sunt: quandoquidem non ignorantia aut imprudentia, sed mera malitia delinquant. Deinde quæ me servaturum juravi ac pollicitus sum, (quibus servandis me maximè obligatum sentio) ea summo studio perfectè exequi adnitor. Equidem Domino meo pollicitus sum, tribus virginibus, quæ hîc demorantur, nempe Obedientiæ, Castitati & Paupertati fidem me servaturum, quas ille mihi ceu conjuges & amicas meas proposuit & assignavit. Unde manè semper & vespere mecum pensitare consuevi, quînam illis ea die studiosius servire ac obsequi, impensiusque placere queam, aióque manè quidem ad animam meam: Age, perpendamus Anima

H 5      mea,

mea, ut hac die erga tuas virgines te sis habitura, illisque placitura ac obsequutura. Serò autem sic eandem compello. Age, videamus Anima mea, ut hac die virginibus tuis servieris, fidumque te præstiteris: utrumne aliquam earum molestiâ affeceris vel offenderis. Hac scilicet ratione omnem eò conatum adhibeo, ut hisce virginibus fidum me servum exhibeam. *DESID.* Quam ob causam id agis? *AMOR DEI.* Eò quòd Domini mei cubiculariæ fiat: nec quisquam in illius cubiculum ingredi, aut cum eo colloqui possit, nisi hæ virgines aditum illi patefaciant. *DESID.* Obsecro, doceas me, quænam habeas spiritalia exercitia, quibus his virginibus rectius servias, fidemque serves. *AMOR DEI.* Tria quædam mihi Proposita sunt, quæ illis noctu, diuque offero & exhibeo, eaque me illis obsequi & inservire compellunt. Primum Propositum dicitur, Nihil exigas vel postules. Alterum, Nihil

con-

concupifcas vel appetas. Tertium, Nihil cogites. Primum Propofitum fervit Obedientiæ, fi jufculo quodam condiatur, quod Facere dicitur, tumque appellatur, Nihil postules facere: quo edulio Obedientia fufcentatur, quantoque illi id abundantius, purius ac nitidius offero, tantò apud Dominum meum majorem mihi conciliat gratiam & amicitiam, multaque de me bona illi commemorat, efficitque, ut animo in me propenso ac benigno fit. Hoc idem edulium, nempe Nihil postules, dum alio quodam condimento præparo, quod Habere dicitur: jam, Nihil habere postules, vocatur, atq; ipfo alteram virginem, puta Paupertatem, fufcento.

DESID. Ceffa parumper, obsecro, Nihil igitur licebit habendum postulare, dum qua re egeo? AMOR DEI. Non: nifi res fit valde neceffaria. Si quid enim fit, quo habeas opus, eft tibi Præfectus vel Superior tuus, qui vel per fe fe, vel Officiales fuos fatis

H6 tibi

tibi providebit, ut nihil necesse sit, ut id ipse postules, quod te postulare non deceret. Nam qui totius Domus vel cœnobij curam gerit ex officio, is omnibus, sicut decet Prælatum vel Superiorem, necessaria procurabit, quò illi liberiùs & commodiùs DEO vacare, ac cœlestibus inhærere meditationibus possint, nec necesse sit singulos pro his atque illis expetendis esse sollicitos. Neque sanè mediocris ea culpa fuerit, si Superior eâ vel prudentiâ vel discretionem præditus non sit, ut subditis etiam non exigentibus res necessarias subministret. Itaque quod de postulando dixi, duplici ratione debet accipi, ut videlicet absq; culpa postulare possis: si, te non exigente, necessaria tibi non præbeant; quæ sanè res reprehensione digna videtur, maximè apud Monasticæ vitæ professores: deinde si id, quo indiges, multùm necessarium, non autem propriæ voluntatis sit. Nam quæ aliter se habent, in illis appetendis vel

su-

superfluitas, vel curiositas, vel tentatio sita erit. Neque dubites, sub necessitatis prætextu multa latere sæpè vitia, idque in rebus præcipuè, quæ ad corporis nutritionem pertinent, ut est cibus & potus, vestitus, & id genus alia. DESID. Et quânam scire poterò, utrùm necessitatis, an propriæ voluntatis sit, quod expeto? AMOR DEI. Siquidem illo carere, & absq; illo vitam agere possis, neque ob id grande aliquid vel notabile corporis vel spiritûs detrimentum, sive nocumentum aut periculum sustinere cogaris, vel inde emergere queat. Nam alioqui, si certò credas, non tamen fallendo teipsum, ejusmodi inde tibi imminere periculum vel nocumentum, tunc non petere, culpa fuerit: petere autem, meritum, si in DEUM referas. Sin autem absque illo vitam possis sustentare tuam, nec magno inde damno vel periculo affici, etiamsi non nihil ob id molestiæ, laboris ac tædij devorare oporteat, ita tamen,

men, ut moderationis sive discretio-  
nis limites propterea non excedan-  
tur, jam quidem non postulare, tam-  
etsi nonnihil necessarium sit, aut esse  
videatur, magnæ virtutis & meriti  
est, licet alioqui jure & absque culpa  
postulare vel appetere id posses. Si-  
quidē beatum ego illum prædico ho-  
minem, qui quippiam causâ Amoris  
DEI perpetitur. Atqui, si ejusmodi  
sit, quod postulare velis, ut illo absq;  
corporis vel spiritûs incommodo vel  
damno facilè carere possis, propria  
id voluntatis esse existimes, etiamsi  
sanctæ voluntatis & justæ causæ præ-  
textu sese obtegat. Peccata namque  
non semper manifestò, sed sapiùs sub  
pietatis vel justæ causæ specie sese in-  
gerunt. Atque ex his nôsse licebit,  
dum quippiam expetis, num id ex  
necessitate, vel propria voluntate  
proficiscatur. Et ne quis suópte judi-  
cio & rei specie fallatur, cum primis  
illi necessaria fuerit studiosa ac dili-  
gens exploratio, & usus vel experi-  
men-



mentum virtutum. Quòd si iis careat, utilissimum fuerit, ut juxta sapientum ac expertorum virorum, & sacrae Scripturae consilia sese gerat ac moderetur.

*De reliquis duobus Amoris DEI  
Propositis, nempe, Nihil desiderare vel appetere, & Nihil cogitare.*

## CAPUT V.

**A**MOR DEI: Primo quidem Proposito, quo duae virgines, puta Obedientia & Paupertas, sustentantur, succinctim explicato, etiam reliquorum duorum, nempe Nihil appetas, & Nihil cogites, conditiones ut explicem, oportet. Certum ergo habeas, antè dictum primum Propositum, quod est, Nihil postules, non aliundè oriri, quàm ex secundo hoc, Nihil appetas. Certum est enim, non aliundè postulationem nasci, quàm ex cupiditate & desiderio.

rio.